



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Quae requiruntur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

obedientia placeat Deo. **Tertium**, quomodo admittatur gratia.

Quæ requiruntur?

Requiruntur opera lege Dei præcepta, non tantum externa, sed etiam interiores motus. **Necessse** est enim legem in nobis inchoari, sicut **Christus** ait, **Nisi** abundauerit iustitia uestra etc. **Item**, **Si** uis ingredi in uitam, serua mandata. **Ergo** requiritur obedientia, quæ sic inchoatur in nobis, cum fides ad contritionem accessit, iam peccatum displicet, et cupimus Deo, quem agnouimus, obedire. **Ita** primum concipitur bonum propositum, ut uocant. **Inchoantur** ergo iam in corde motus consentientes legi Dei, timor, fiducia, dilectio Dei, inuocatio, patientia, ueritas, castitas, dilectio proximi, cura Reipublicæ. **Hæ** uirtutes fiunt spiritu sancto impellente corda & crescunt cum eas exercemus sicut scriptum est, **Habenti** dabitur etc. **Quanquam** autem in renatis bona opera sunt motus spiritus sancti, tamen spiritus sanctus mouet per uerbum, & oportet nos habere testimonium quæ opera placeant Deo, ne decepti alia opera suscipiamus. **Ideo** cum oporteat nos regi uerbo, dictum est nominatim

minatim illa opera postulari, quæ in decalogo præcepta sunt. **E**t si enim non est posita lex iusto, quod ad accusandum attinet, tamen est ei posita, quatenus docet eum, & requirit obedientiam, iuxta illud, **O**mnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, arguendum etc.

Quomodo placet in perfecta obedientia?

Necessaria est obedientia, & tamen sciendum est, eam procul abesse à perfectione, nec satis facere legi Dei, & adhuc hæere in nobis reliquias peccati. **Q**uare persona non est iusta, id est, accepta coram Deo propter propriam mundiciam, iuxta illud, **N**on iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. **P**lacet autem persona fide per misericordiam propter **C**hristum, ut supra dictum est. **D**einde placet & inchoata obedientia, quia sumus facti filij, & credimus propter **C**hristum condonari nobis indignitatem nostram. **V**trumque igitur sciri necesse est, ut fiducia propriæ iustitiæ, & desperatio animis eximantur. **N**am agnitio infirmitatis nostræ humiliat nos, incutit terrores, & exuscitat poenitentiam.